



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Poenitentiarius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

cata confessio in foro conscientiae, non est imponenda dicta poenitentia, nisi consentiat poenitens, Covar. lib. 1. c. 10. num. 3. ver. 6. var. resol. & quod dicta poenitentia non sit imponenda temere, facile ac sine praevia matura deliberatione, nisi peccatum sit huiusmodi, quod & correctio peccantis, & aliorum edificatio sit, Covar. & Sylv. loco citato. Quinto, & Navar. in c. 1. §. diligens, n. 106. dicit, quod non debet imponi poenitentia, ut quis teneat cereum accensum in manu in Missa, pro peccato occulto, vel quasi notorio.

Ad Secundum respondetur, quod stante causa potest Episcopus mutare poenitentiam impositam ab Episcopo, & secundus confessarius impositam à primo, Navar. c. 26. num. 26. per. gl. in c. tempora poenitudinis, 26. q. 7. & gl. in c. laetorem, in ver. conversionem 33. q. 2. Selva tract. de benef. 4. p. q. 7. num. 28. ver. 12. Angel. in ver. confessio, 6. num. 4. Sum. Sacram. q. 22. Armil. ver. confessio sacramentalis, numer. 30. Sylvest. in ver. confessio, 1. §. 27. & hoc concurrentibus tribus, primo, ut non facile possit adiri superior, vel confessarius, qui eam imposuit. Secundo, ut non sit imposita pro peccato, à quo non posset inferior absolvere. Tertio, ne superior illam absolutionem sibi reservasset, hoc intellige extra articulum, sive periculum mortis, quia tunc quisque sacerdos potest absolvere gradatim ab omnibus casibus, censuris, etiam reservatis Sedi Apostolicae, & in bulla Cænae Domini quomodocunque, & qualitercunque, lac. Con. Trid. sess. 14. c. 7. & in Bulla Cænae, in clausula

Ceterum, & dixi superius in ver. dispensatio, etsi Feli. neget in c. clericus, nu. 22. de judic. intelligitur quando non subest causa, Navar. in conf. 25. §. 23. de poenit. & remiss. quod tamen fallit in poenitentia imposita à superiore in commutatione, vel dispensatione voti, Card. in d. c. 26. q. 7. n. 4. Navar. loc. cit.

Ad tertium, omnes poenitentiae hodie sunt arbitrariae, cap. Deus, de poenit. & remiss. c. tempora, & ibi gl. 26. q. 7. Selva loc. cit. num. 2. Innoc. in c. omnis utriusque sexus, de poen. & remiss. n. 40.

Ad quartum, vide Innoc. in loc. citato, & Navar. c. 26. num. 21. Sor. 4. sent. dist. 20. q. 2. ar. 2. conc. 2. Sylvest. in ver. Confessio, 1. §. 9. & 30. Sum. sacram. q. 209. D. Thom. in addit. 3. p. q. 18. ar. 3. Mag. sent. 4. sent. dist. ...

Ad quintum respondetur, quod non, quia illic solum datur commutatio votorum, quod est satis differens à poenitentiis. Navar. conf. 3. de vot. num. 2.

POENITENTIARIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Ubi debeat constitui.
- 2 Quorum sumptibus.
- 3 A quo eligendus.
- 4 An possit subdelegare suam auctoritatem aliis Confessarius.
- 5 An quoties occurrerit vacare officium poenitentiarum, & per consequens praebenda illi annexa, provisio illius pertineat ad solum Episcopum, absque eo, quod Capitulum in aliquo se intromittere possit.

Ccc

Ad

AD primum, sac. Conc. sess. 24. cap. de reformat. statuit in hæc verba: *In omnibus cathedralibus Ecclesiis, ubi commodè id fieri potest, penitentiarius aliquis cum unione præbendæ proximè vacaturæ ab Episcopo constituatur, &c.* nec propter hoc prohibetur, ut Episcopus possit plures in Diocesi, & Civitate constituere penitentiarios, argum. eorum quæ dicit Conc. de præb. Theolog. & ut dixi de pluribus vicariis generalibus; in ver. *Vicarius, in princ.*

Ad Secundum, ultra prædicta sac. Cong. declarat. 110. censuit, quod Capitulum de consensu Episcopi potest constituere perpetuum stipendium penitentiario.

Ad Tertium, ead. sac. Congr. declarat. 479. ita censuit: *Officium penitentiarii in cathedrali potest per solum Ordinarium institui, ad quem quoque pertinet electio persona quoties opus est, pro exercendo tali officio, nec requiritur aliquis consensus capituli.*

Ad Quartum, videtur quod non, per c. *fin. s. ceterum, & ibi gl. in versi. commissum de offi. deleg.* pro alia parte videtur quod sic, per c. *fi. & ibi gloss. in ver. casibus, de offi. ordin.* Sit prima conclusio: Si penitentiarius est. constitutus ordinariè ab Episcopo generaliter in Ecclesia cathedrali, & Diocesi, tunc potest subdelegare auctoritatem suam aliis confessoribus, Navar. capitul. 27. numer. 45. Sylvest. in ver. *delegatus, numer. 2. ver. 3.* Flor. Theol. in 4. *Sent. tract. de confess. fol. 232.* Covar. lib. 3. cap. 20. num. 5. var. resol. ad est ratio, quia delegatus à Principe potest subdelegare, l. *à iudice, C. de iudic. cap. pa-*

stor. c. venerab. l. 3. de offi. deleg. & cap. si duo, eod. lib. 6. Episcopus æquiparatur principi in sua diocesi, & Princeps vocatur à sancto Hilario in com. sup. *Matth. Can. 26.* Bar. in l. 5. in princ. & ibi Alex. ff. de verb. oblig. Maran. 4. par. dist. 15. n. 13. & 26. Secunda conclusio, non potest subdelegare suam jurisdictionem, ratione cuius id ei competit, non potest constituere alium penitentiarium, æqualem sibi per c. *super questionem, s. quem verò, de offi. deleg. 1.* non potest concedere casus alios confessoribus, quia hoc esset constituere alios penitentiarios, Navar. loc. cit. sed potest dare auctoritatem confessoribus, absolvendi à casibus reservatis, dum actu consultatur, non aliter, & non totum, vel partem suæ jurisdictionis; nisi hanc auctoritatem etiam haberet ab Episcopo, quia tunc posset, prout dixi in *vers. sicut, Vicarius, dub. 4.* sed si est datus ad universitatem causarum, potest. Hoff. in *Sum. tit. de offi. vic. num. 5. & tit. de offi. deleg. s. cui possit.* sed non totam suam delegationem potest subdelegare, sicut nec ordinarius inconsulto principe, Abb. in cap. *super questionem, col. 4. de offi. deleg. & si non habet auctoritatem absolvendi ab eo qui hanc dare potest, non potest absolvere à casibus Episcopaliibus, ex ratione & vi solius officii.* Navar. cons. 20. de peniten. & remiss. & hæc auctoritas vel debet ei concedi ab Episcopo, prout dixi superius, in *versi. casus reservati, s. 3.* vel à consuetudine, prout dixi superius, in *ver. dimissoria, s. 1.* & ita auctori habere Beneventi primicerium maioris Ecclesiæ Archiepiscopalis illius; nam penitentiarius electus per decre-

tum

eum sacri Concilii, non habet ex hac sola electione potestatem absolvendi à casibus reservatis, nisi aliunde eam habeat, Nav. loc. cit. & resolvendo hunc casum dico cum dicto Navar. conf. 3. de statu Monach. nu. 34. quòd absolvendi facultas privilegio perpetuo, dignitati competens est delegabilis, sicut competens alicujus ordinariæ potestatis. Et Gemin. c. 1. ver. omnibus, de temp. ordin. lib. 9. dicit, quòd habens potestatem dispensandi jure ordinario, potest alteri committere vices suas, secus verò, si jure delegato.

Ad Quintum, sac. Congreg. declarat. 465. in meo, scribens pro Episcopo Segobienfi, inter cætera, censuit in hæc verba: Sanctissimus Dominus, referente Congregatione Concilii, decrevit institutionem officii Poenitentiarii, nec non electionem personæ Poenitentiarii, quandocunque faciendam, ad solum Episcopum pertinere absque consensu Capituli: collationem autem præbende ab illis fieri debere, ad quos antea spectabat. cætera verò in Additionibus magnis videto.

PENSIO.

AN Episcopus possit ponere pensionem novam super beneficiis, vel veterem augere. Et videtur quod sic, modò sit parochialis, quæ excedat summam Ducatorum centum, Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 13. de reform. similiter & in aliis beneficiis carentibus cura animarum, & quod hoc possit, patet, quia Conc. non loquitur in Papa, quia ipse, non subest decretis Concilii,

cum sit supra Concilium, ut sanior sententia scribentium approbat. Navar. ca. 25. nu. 137. ergo loquitur in Episcopis, quoad Parochiales, & in Papa, quoad cathedrales, accedit gloss. in cap. audivimus, in verbi pensio, de callus. de reg. & Gom. in tractat. viriisque sign. fol. 92. & Pau. Rot. tract. de pensio. q. 1. num. 10. citatus ab ipso Gom. Abb. in c. nisi, num. 4. in fine, de præben. & in Clemen. 1. num. 3. de sup. neg. præb. & in cap. pastoralis, nu. 4. de his, quæ fiunt à prælat. Selva tractatus de benef. 4. p. q. 7. num. 4. tamen Gloss. in c. cum dilectus, in ver. astate, de elect. & alii dicunt, quod non, Rebuff. in pract. benef. tit. de collat. num. 6. Dicit, quis, quid operantur illa verba sac. Concil. Tridentini? respondetur ex Selva loco citato, quòd multoties Concilia generalia, etsi non possint imponere legem Papæ, prout in cap. proposuit, de concess. præb. tamen dant modum, dirigunt, instruunt, quid fieri, vel non fieri possit ab eo, quid facilius, difficiliusve, & licet in Constitutione Conciliari aliquando permittatur dispensatio, tamen hoc non potest Episcopus, qui habet potestatem dispensandi super Conciliis, gloss. cit. & verba Concilii Tridentini operantur duo. Primum, quòd in concessione facta contra dispositionem Conciliarem, non sufficit clausula derogatoria generalis, quia constitutio Conciliaris tacite continet clausulam derogatoriam, & propterea ei non derogatur per clausulas generales, Archid. cap. 1. de const. lib. 6. Caputaq. decis. 268. num. 3. Secundum, quia Papa redditur facilius ad disponendum, & providendum, & Navar.